

Tempore Adventus post Graduale dicitur:

Allelúja, allelúja. **V. Luc. 1, 28** Ave, Maria, grátia plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemísti. **V. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti. V. Dum Virgo Deum et hóminem genuisti: et post partum, Virgo, invioláta permansísti. V. Dei Génitrix, intercède pro nobis.**

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. **V. Num. 17, 8** Virga Jesse flóruit: Virgo Deum et hóminem genuit: pacem Deus reddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúja. **V. Luc. 1, 28** Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúja.

Die 16 Junii

S. JOANNIS FRANCISCI
REGIS CONFESSORIS

Introitus Luc. 4, 18 et 19

SPIRITUS Dómini super me: propter quod unxit me: evangelizare paupéribus misit me, sanãre contritos corde, prædicãre annum Dómini accéptum et diem retributiónis. (**T. P.** Allelúja, allelúja.) **PS. 9, 33** Exsúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua: ne obliviscáris páuperum.

V. Gloria Patri.

Oratio

Deus, qui, ad plúrimos pro salutem animárum perferéndo labores, beátum Joánnem Franciscum Confessórem tuum mirábili caritate et invícta paciéntia decorásti: concéde propítius; ut, ejus exémplicis instrúcti et intercessiõnibus adjúti, æternæ vitæ præmia consequámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses

1 Thess. 2, 2-9

Fratres: Fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitúdone. Exhortátio enim nostra non de errore neque de immundítia neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangelium: ita lóquimur, non quasi hominibus placétes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis: neque in occasiõne avaritiæ: Deus testis est: nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis neque ab áliis; cum possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli: sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutritrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trãdere vobis non solum Evangelium Dei, sed étiam ánimas nostras: quóniam caríssimi nobis facti estis. Mémoires enim estis, fratres, labóris nostri et fatigatiónis: nocte ac die operántes, ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis Evangelium Dei.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini, **V. Ibid., 3** Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 67, 12** Dóminus dabit verbum evangeli-zántibus, virtúte multa. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. **V.** Gloria et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 67, 12** Dóminus dabit verbum evangeli-zántibus, virtúte multa. Allelúja. **V. Osee 14, 6** Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum **9, 35-38**

In illo tempore: Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicens Evangélium regni, et curans omnem languórem et omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis: quia erant vexáti, et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dicit discíplis suis: Messis quidem multa, operárii autem pauci, Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam.

Offertorium Job 29, 13 et 15-16 Benedíctio peritúri super me veniébat, et cor viduæ consolátus sum: óculus fui cæco et pes claudó: pater eram páuperum. **(T. P. Allelúja.)**

Secreta

Caritátis víctima, quam immolántes offérimus, sit nobis, Dómine, te miseránte, propitiábilis: et, beáti Joánnis Francisci précibus et méritis, ad obtinéndum paciéntiæ et caritátis augméntum, éfficax et salutáris. Per eúndem Dóminum,

Communio Is. 52, 7 Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem: annuntiántis bonum, prædicántis salútem. **(T. P. Allelúja.)**

Postcommunio

Crescat in nobis, Dómine, pietá-tis tuæ efféctus salutáris: ut, cælésti pábulo refécti et Sanctórum exémplis accénsi, ad ætérnæ salútis portum, te misericórditer protegén-te et beáto Joánni Francíscó intercedén-te, feliciter perveníre valeá-mus. Per Dóminum nostrum.

Die 27 Junii

B. MARIÆ VIRG.

DE PERPETUO SUCCURSU

Introitus

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre be-átæ Mariæ Vírginis: de cujus solem-nitáte gaudent Angeli et colláudant Fílium Dei. **Ps. 44, 2** Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. **V.** Glória Patri,